

fert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Quartus, quando est contentio de eo quod vergit in spirituale damnum illius qui rem spirituale detinet injuste, de quo supra posita est auctoritas Gregor. super illud Job xxxix. 16. Frustra laborabit nullo timore cogente. Quintus, quando vergit in corruptionem multorum per exemplum rapiendi, Eccles. vii. 11. Quia non cito profertur sententia contra malos, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.

Ad primum ergo dicendum, quod Apostolus potuisset licite sumptus accipere ab illis quibus Evangelium predicabat, sed intermisit ex perfectione charitatis, ut vitaret eorum scandalum qui avari erant, & ut liberius eos arguere posset, & ut pseudoapostolis occasionem rapiendi subtraheret.

Ad secundum dicendum, quod ille qui est in extrema necessitate, non habet in potestate sua incurere mortem corporalem, aut non incurere, sed de necessitate incurrit propter penuriam rei temporalis: & ideo ille qui illam rem sibi denegat, directe mortis eius est causa. Sed ille qui scandalizatur, potest scandalum suum vitare: & ideo non est simile.

Ad tertium dicendum, quod comestio alicujus cibi habet ex se aliquam mali similitudinem, sicut comestio (7) idolatrii: & ideo qui comedit coram infirmis, scandalizat active, quod est majus malum quam mors corporalis: quia satius est fame mori quam idolatrii vesci, scilicet cum scandalo: quia primum est malum pena; secundum malum culpa. Non tamen aliquis debet se dimittere fame mori antequam cum scandalo idolatrii comedat: quia injiceret sibi manus, & sic cum malo pena adjungeretur malum culpa. Sed quando comestio alicujus cibi non habet speciem mali, tunc idem est iudicium de abstinendo a tali comestione, & de dimissione rei temporalis alterius; unde quod Apostolus dicit I. Corinth. vii. ad perfectionem pertinet consilii, non ad necessitatem precepti.

Ad quartum dicendum, quod Apostolus loquitur de repetitione cum scandalo activo. Quod autem Dominus dicit: Quae tua sunt, non repetas. Luc. vi. 30. consilium est magis quam preceptum.

Ad quintum dicendum, quod propter generale scandalum debet homo a repetitione rei suae abstinere, quando licite potest, nisi ex hoc majus praedictum veritati generaretur quam sit scandalum publicum, quod quandoque ex malitia aliquorum instigantium alios oritur: & sic beatus Thomas Cantuariensis sustinuit scandalum publicum, ut occurreret majori periculo, quod erat de libertatis ecclesiasticae amissione.

Ad sextum dicendum, quod si homo plus diligeret rem suam temporalem quam salutem proximi, peccaret; sed aliquando dum nostra repetimus, magis salutem proximorum consulimus quam nostram: unde Gregorius dicit, ubi sup. Plus (8) de ipsis raptoribus debemus metuere, quam rebus temporalibus repetendis inhare.

Ad septimum dicendum, quod quamvis salva triplici veritate, in hoc particulari posset quis sua quandoque non repetere propter vitandum scandalum, tamen non posset esse sine praedictum veritatis publicae, si non liceret repetere: quia pax, & justitia periret.

(7) Nicolai idolothyri, ita etiam infra. (8) Gregorius: Plus ipsis. (9) Al. Quid etiam omnibus etc. (10) Al. in pluribus.

EXPOSITIO TEXTUS.

Quia probari non potest quod occulte factum est. Haec non est sufficiens ratio quare non impediat matrimonium simpliciter: quia defectus probationis non excusaret conscientiam a peccato; sed quare non impeditur in facie Ecclesiae.

Viduas a proposito recedentes viduitatis, super quibus nos consulisti, credo te nosse a Sancto Paulo, nisi convertantur, olim esse damnatas. Loquitur de proposito per votum firmato.

Quid (9) in omnibus peccatis est adulterio gravius? Hoc intelligitur quantum ad gravitatem pena quae secundum legem pro adulterio infligitur, scilicet lapidatio utriusque; quia nulla pena est gravior. Dicitur autem secundum locum in poenis tenere: quia secundum legem lapidatio solis blasphemis, & adulteris debetur, & filiis inobedientibus. Blasphemos autem nominat hic aberrantes a Deo: & in eodem genere inobedientes computantur, quia quasi scelus ariolandi est nolle obedire, ut patet I. Reg. xv.

Execrabilius fit in meretrice, sed execrabilius in uxore. Haec comparatio intelligenda est de usu contra naturam; sed de usu secundum naturam est e converso.

Legitimarum foedera nuptiarum reintegranda credamus. Hoc intelligendum est utroque in hac vita perseverante.

Sed videtur quod etiam si unus moriatur, & postea miraculose suscitetur, sit reintegrandum matrimonium per hoc quod dicitur Hebr. ii. 35. Accerserunt mulieres de resurrectione mortuos suos.

Præterea. Resuscitatus posset repetere possessiones suas. Ergo & uxorem.

Præterea. Si oporteret iterato contrahere cum eadem uxore, bigamus reputaretur propter duplex matrimonium quod contraxit.

Et dicendum, quod secundum Augustinum nuptiae sunt bonum mortalium: & ideo vinculum matrimoniale cum hac vita finitur; & hoc est quod dicitur Rom. vii. 2. de muliere: Si mortuus est vir ejus, soluta est a lege viri. Et ideo si resuscitaretur, non posset repetere uxorem suam; sed posset iterato cum ea contrahere, nisi illa alteri nupsisset: tunc enim non esset matrimonium contractum separandum.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc intelligitur de filiis, & non de maritis.

Ad secundum dicendum, quod possessiones subdantur simpliciter dominio possidentis, unde etiam moriens testari potest; sed uxor non subditur viri dominio quasi ancilla, sed est quaedam societas inter virum & uxorem, quae morte alterius terminatur: unde vir moriens non potest uxorem suam alteri in testamento dimittere. Et sic patet quod non est eadem ratio de possessionibus, & uxoribus.

Ad tertium dicendum, quod non esset bigamus propter hoc, quia neuter conjugum (10) in plures carnes suas divisit.

Si careat opprobrio male voluntatis. Quod quidem est quando non ex levi presumptione, sed ex aliquo certo indicio habito de morte viri mulier cum alio contraxit. Si autem postea oriatur dubitatio aliqua de vita prioris viri ex aliqua causa quae etiam certitudinem facere possit, non debet nec reddere, nec exigere debitum. Si autem causa illa facit probabilem qu-

hibitionem, debet reddere, sed non exigere. Si autem sit brevis suspicio, potest utramque licite facere: quia debet illam causam potius abjicere quam secundum hoc conscientiam formare.

Ex quo ad primam redire volens, nec valens, cogitur

Ecclesia disciplina hanc tenere, incipit excusari. Hic Magister falsum dicit: quia potius debet excommunicatus mori quam conjugatur illi quae non est sua uxor: hoc enim esset contra veritatem vitae, quae non est propter scandalum dimittenda.

DISTINCTIO XXXIX.

De dispari cultu.

Post haec de dispari cultu videndum est. Haec est enim una de causis quibus personae illegitimae fiunt ad contrahendum matrimonium. Non enim licet Christiano cum Gentili, vel Judaea inire conjugium: quia etiam in veteri testamento prohibitum est fideles viros infideles ducere uxores, Domino dicente, Exod. xxxiv. 16. Non accipias uxorem de filiabus alienigenarum filiis tuis, ne traducant eos post deos suos. Juxta hoc Domini praecipuum Judaeorum conjugia cum alienigenis inita Esdras separavit, I. Esdræ x. Hoc idem etiam in novo testamento servatur. Unde Augustinus, Lib. I. de adult. conjug. cap. xxv. Ne nubat femina nisi suae religionis viro, vel ne vir talem ducat uxorem. Id enim, ut dicit, jubet Dominus, docet Apostolus, utrumque praecipit testamentum. Item Ambrosius: (a) Cave Christiane Gentili, vel Judaea filiam tuam, tradere; cave ne Gentilem, vel Judaeam, vel alienigenam, idest haeticam, & omnem alienam a fide tua, uxorem accersas tibi. Item: (b) (1) Si quis Judaeae, sive Christiana Judaeae, sive Judaea Christiano carnali consortio misceatur, quicumque tantum nefas admisit, a christiano coetu protinus segregetur. Ex his, aliisque pluribus testimoniis apparet non posse contrahi conjugium ab his qui sunt diversae religionis, & fidei.

De conjugio fidelis & infidelis, & duorum infidelium.

Huic autem videtur obviare quod Apostolus ait de imparibus conjugis, I. Corinth. vii. 12. Ego dico, non Dominus. Si quis frater habet uxorem infidelem, & haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam, & si qua mulier etc. Sed aliud hoc esse aliud illud, evidenter ostendit Augustinus (ubi supra). Ibi enim agitur de illis conjugis fidelium quae contrahuntur ab eis in dispari religione, & fide manentibus; Apostolus vero ait de illis qui unius & ejusdem infidelitatis fuerunt, quando conjuncti sunt; sed cum venisset Evangelium, alter sine altera creditur. Intelligis ne quid dicam? Attende, ut rem ipsam diligentius explanem. Ecce conjuges duo unius infidelitatis fuerunt, quando conjuncti sunt: nulla de his quaestio est quae pertineat ad illud praecipuum veteris & novi testamenti, quo prohibetur fidelis cum infideli copulare conjugium. Jam sunt conjuges, & ambo adhuc sunt infideles. Tales sunt adhuc quales conjuncti sunt. Venit Evangelii praedicator, (2) credit eorum unus, vel una, sed ita ut infidelis cum fidele habitare consentiat: non jubet Dominus ut fidelis infidelem dimittat taliter conjunctum. Nec Apostolus jubet ut non dimittat, sed consulit; ut si quis aliter agat, non sit transgressor; sicut & de virginibus consulit. Et jam antea cap. xiiii. Monet autem quod est lucranda occasio, cum possit licite relinquere; sed non expedit. Et cap. xviii. Tunc enim non expedit id quod licitum est, quando permittitur quidem, sed ipsius potestatis usus aliis affert impedimentum salutis, sicut discessio fidelis ab infideli: quam non prohibet Dominus, quia coram illo non est injura; sed Apostolus, ne fiat, consilio charitatis suadet, ut nemo in ea re jussionis necessitate teneatur, sed consilii voluntate libere faciat. Ex his monstratur inter fideles conjugium esse, & consilium Apostoli non obviare praecipuum Domini, quo jubet fidelem non jungi infideli, & si conjuncti fuerint, separari. Legitur enim (Esdræ x.) quod Esdras Propheta, immo Dominus per eum, jussit Israelitis uxores dimittere alienigenas, per quas ibant ad deos alienos, non illae per maritos acquirebantur Deo. Recte hoc praecipit, quia per Moysen jusserat Dominus ne quis uxorem alienigenam duceret. Merito ergo quas duxerant Domino prohibente, Domino jubente dimiserunt: quia, ut ait Ambrosius (Ambrosiaster in I. Corinth. cap. vii.) non est putandum matrimonium quod extra decretum Dei factum est; sed cognoscitur emendandum, ut quando fidelis infideli copulatur. Sed, ut ait Augustinus (ubi supra) est; sed cognoscitur emendandum, ut quando fidelis infideli copulatur. Sed, ut ait Augustinus (ubi supra) cum coepisset gentibus Evangelium predicare, jam conjunctos gentiles gentilibus (3) comperit conjugibus: ex quibus si non ambo crederent, sed unus, vel una, & fidelis cum infideli consentiret habitare, nec prohiberi a Domino debuit fidelis infidelem dimittere, nec juberi. Ideo non prohiberi, quia justitia permittit a fornicante discedere, & infidelis hominis fornicatio est major in corde, nec vera ejus pudicitia cum conjugate dici potest: quia, omne quod non est ex fide, peccatum est. Rom. xiv. 13. quamvis veram fidelis habeat pudicitiam, etiam cum infideli conjugate quae non habet veram. Ideo autem nec juberi debuerunt fideles ab infidelibus separari; quia non contra jussionem Domini gentiles fuerunt ambo conjuncti. Licet ergo erant per justitiam infideli dimittere; sed licitum non erat faciendum propter liberam benevolentiam. Evidenter apparet & inter infideles conjugium esse, & Apostolum de illis agere qui in infidelitate conjuncti fuerunt, & post alter ad fidem conversus est, cum quo etiam fidelis habitare consentit: & hunc non dimittere fidelis consuluit Apostolus, quia forte per fidelem salvabitur infidelis.

(1) Nicolai. Si quis judaice pravitati conjugali societate jungitur (sive Christiana Judaeae, sive Judaea Christiano carnali consortio misceatur) quicumque tantum nefas etc. (2) Al. creditur. (3) Al. comparavit. Ex EDIT P. NICOL. (a) Lib. I. de Abraham cap. ix. (b) In Concilio Urbanensi, vel Verbeniensi, vel Arveniensi cap. vi.



*De fornicatione spiritali, ob quam potest dimitti conjux.*

**P**otest tamen licite dimittere: quia in infideli est fornicatio, si non corporis tamen mentis. Causam enim fornicationis Dominus excepit. Fornicationem vero generalem, & universalem intelligere cogimur, non modo scilicet corporalem, sed spiritualem, de qua Augustinus ait (de serm. Domini in monte Lib. I. cap. XII.) „Idolatria, & quælibet noxia superstitio fornicatio est. Dominus autem permisit causa fornicationis uxorem dimitti, sed non jussit; & sic dedit Apostolo locum monendi, ut qui voluerit, non dimittat: potest tamen licite dimittere. Si enim fornicatio carnis detestanda est in conjuge, quanto magis fornicatio mentis, idest (1) infidelitas?“

*Pro quibus vitiis possit dimitti.*

**S**i autem quæris, an propter aliud vitium, nisi propter infidelitatem, vel idolatriam, possit dimitti; attende quid Augustinus ait (Lib. I. de serm. Domini in monte cap. XXVIII.) „Si infidelitas fornicatio est, & idolatria infidelitas, & avaritia idolatria; non est dubitandum, & avaritiam fornicationem esse. Quis ergo quamlibet illicitam concupiscentiam potest à fornicationis genere separare, si avaritia fornicatio est?“ Ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiscentias non tantum quæ in stupris cum alienis viris, vel fœminis committuntur, sed ob quaslibet quæ animam à lege Dei aberrare faciunt, & pernitiose corrumpi, possit sine crimine & vir uxorem suam dimittere, & uxor virum. Item (de fide & operibus cap. XVI. & habetur causa XXVIII. quæst. I. cap. „Uxor“ „Rectissime dimittit, si viro suo dicat: Non ero uxor tua, nisi mihi de latrocinio divitias congreges, vel nisi solita lenocinia exerceas, aut si quid aliud facinosum, vel flagitiosum à viro suo exspectat. Tunc ille cui hoc uxor dixit, si veraciter penitens est, habetque fidem per dilectionem operantem, membrum quod eum scandalizat, amputabit.“ Ex his apparet quod non solum infidelitas, sed etiam quælibet concupiscentia, quæ pernitiose, turpiterque corrumpit, fornicatio spiritalis est, per quam vir uxorem, vel uxor virum dimittere potest. Consultat tamen Apostolus ne fidelis dimittat infidelem volentem cohabitare, nec à Deo revocare.

*Si fideli liceat aliam ducere, infideli discedente, vel dimissa.*

**H**ic quæritur, si fidelis dimittat infidelem, vel infidelis à fideli discedat, an liceat fideli aliam ducere. Videtur auctoritas testari, quod illa vivente alteram ducere non valeat. Ambrosius enim (Ambrosiaster in I. Corinth. VII.) verba Apostoli exponens, ait: „Alioquin si disceditis ab invicem, & nolentes cohabitare dimittitis, & alii vos copulatis, adulteri estis, & filii vestri qui de hac copula nascuntur, immundi (idest spurii) sunt.“ Item (ex Conc. Meldensi & habetur causa XXVIII. quæst. II. cap. „Si quis.“) „Si quis habuerit uxorem virginem ante baptismum, vivente illa post baptismum alteram habere non potest. Crimina enim in baptismo solvantur, non conjugia.“

*Que præmissis contraria videntur.*

**S**ED contra Ambrosius (Ambrosiaster) testatur: „Si infidelis (dicit Apostolus) discedit, discedat. Non enim est servituti subjectus frater, aut soror in hujusmodi, quia non debetur reverentia conjugii ei qui horret auctorem conjugii. Non est enim ratum matrimonium quod sine devotione Dei est; & ideo non est peccatum ei qui dimittitur propter Deum, si alii se copulaverit. Contumelia enim Creatoris solvit jus matrimonii circa eum qui relinquitur ne accusetur alii copulatus. Infidelis autem discedens & in Deum peccat, & in matrimonium: nec est servanda ei fides conjugii, qui ideo recessit, ne audiret Christum esse Deum christianorum conjugiorum. Si vero ambo crederint, per cognitionem Dei confirmatur conjugium.“

*Determinatio.*

**A**tende, hæc prædictis contraria posse videri, ita ut sibi Ambrosius contradicere videatur. Sed distinguendum est hic, aliud esse dimittere volentem cohabitare, aliud dimitti propter Deum ab illo qui horret nomen Christi. Ibi enim lex benevolentie non servatur, hic veritas custoditur: & ideo cum liceat dimittere volentem cohabitare, non tamen ea vivente aliam ducere licet. Discedentem vero sequi non oportet, & ea vivente aliam ducere licet. Sed hoc non est intelligendum nisi de his qui in infidelitate sibi copulati sunt. Sed si ad fidem uterque conversus est, vel si uterque fidelis matrimonio junctus est, & post alter eorum à fide discesserit, & odio fidei conjugem reliquerit, dimissus discedentem non comitabitur: nec tamen illa vivente alteram ducere poterit, quia inter eos fuerat ratum conjugium, quod non potest dissolvi.

*Quidam dicunt conjugium non esse inter infideles, & quare.*

**S**UNT tamen nonnulli qui inter infideles asserunt non esse conjugia, quia nec rata, nec legitima est eorum copula: rata non est, quia solvi potest; nec legitima, quia Apostolus ait (Rom. XIV. 13.) „Omne quod non est ex fide, peccatum est.“ Eorum autem conjunctio non est ex fide, & ideo peccatum est. Non est ergo conjugium, quia nullum conjugium peccatum est. Augustinus etiam dicit Lib. I. de adult. conjugis cap. XVI. quia non est vera pudicitia infidelis cum fideli. Sed vera negatur esse

(1) Al. infidelitatis.

pudicitia, non quod infidelium conjugium non sit verum, sed quia non habet illud triplex bonum quod excusat coitum, & mereatur præmium. Item illud Apostoli, „Omne quod non est ex fide, peccatum est,“ non sic intelligendum est, ut quidquid fit ab infidelibus, peccatum sit; sed omne quod fit contra fidem, idest conscientiam, male fit, & ad gehennam ædificat. Vel in omni eo quod infidelis facit, peccat, non quia illud facit, sed quia non eo modo illud facit quo debet, non referens ad debitum finem.

*Quod legitimum sit conjugium infidelium, sed non ratum, & quare.*

**C**opula ergo maritalis quæ est inter infideles, conjugium est legitimum, sed non est ratum. Legitimum, quia est inter legitimas personas, sed non ratum, quia sine fide. Conjugium vero fidelium est legitimum, & ratum, si tamen legitimæ sunt personæ. Quod autem legitima sit infidelium conjunctio, Augustinus testatur, dicens (de fide & oper. cap. XVI.) „Uxor legitima societate conjuncta sine ulla culpa relinquitur, si cum viro christiano permanere noluerit.“ Ex hoc etiam probatur, quod infideli ad fidem converso Apostolus consulit infidelem non dimittere; quod non faceret, si non esset inter eos legitimum conjugium. Legitimum est quod legali institutione, vel provinciarum moribus; non contra jussionem Domini, contrahitur.

### DIVISIO TEXTUS.

**P**ostquam determinavit Magister de impedimentis matrimonii quæ faciunt personam illegitimam simpliciter respectu cujuslibet personæ, hic determinat de impedimento quod facit eam illegitimam respectu aliquarum personarum, & non respectu omnium; & dividitur in duas. In prima determinat de impedimento quod facit personam illegitimam respectu alicujus alterius personæ propter distantiam ab ipsa, scilicet de disparitate cultus. In secunda determinat de impedimento quod facit illegitimam personam respectu alterius personæ propter propinquitatem ad eam, XL. dist. ibi: *Nunc superest de cognatione aliquid dicere.* Prima in duas. In prima determinat de matrimonio quod est (1) in disparitate cultus fidelis ad infidelem; in secunda de matrimonio quod est inter duos infideles, ibi: *Sunt tamen nonnulli qui inter infideles asserunt non esse conjugium.* Prima in partes duas. In prima ostendit quod disparitas cultus præcedens matrimonium impedit contrahendum, & dirimit contractum. In secunda objicit in contrarium, ibi: *Hic autem videtur obviare quod Apostolus ait de imparibus conjugis.* Et dividitur in duas. In prima ponit objectionem ex verbis Apostoli; in secunda solvit, ibi: *Sed (2) aliud hoc esse, aliud illud, evidenter ostendit Augustinus.* Et circa hoc tria facit. Primo ostendit quod verbum Apostoli, scilicet quod fidelis habet potestatem commanendi, vel non commanendi cum infideli, intelligitur de disparitate cultus qui sequitur matrimonium. In secunda inquirat, utrum propter alia peccata uxor possit dimitti, sicut propter infidelitatem, ibi: *Si autem quæris, an propter aliud vitium, nisi propter infidelitatem, vel idolatriam possit dimitti; attende quid Augustinus ait.* Tertio inquirat, utrum fidelis dimittens uxorem infidelem, possit alteram ducere, ibi: *Hic quæritur, si fidelis dimittat infidelem, vel infidelis à fideli discedat, an liceat fideli aliam ducere.* Et circa hoc tria facit. Primo ponit auctoritatem ad partem negativam; secundo ad affirmativam, ibi: *Sed contra Ambrosius testatur; tertio solvit: ibi: Attende, hæc prædictis contraria posse videri.*

### QUÆSTIO I.

**H**IC quærentur sex.

Primo. Utrum aliquis fidelis possit contrahere matrimonium cum infideli.

Secundo. Utrum inter infideles sit matrimonium. Tertio. Utrum si alter conjugum infidelium convertatur ad fidem sine altero, possit in eodem matrimonio commanere.

Quarto. Utrum possit uxorem infidelem relinquere.

Quinto. Utrum ea dimissa possit aliam ducere.

Sexto. Utrum propter alia peccata vir possit dimittere uxorem, sicut propter infidelitatem.

### ARTICULUS I.

*Utrum fidelis possit matrimonium cum infideli contrahere.*

1. **A**D primum sic proceditur. Videtur quod fidelis possit matrimonium cum infideli contrahere. Quia Joseph contraxit cum Ægyptia, & Esther cum Assuero. In utroque autem matrimonio fuit disparitas cultus: quia alter erat fidelis, alter infidelis. Ergo disparitas cultus præcedens matrimonium, ipsum non impedit.

2. Præterea. Eadem est fides quem docet vetus lex, & nova lex. Sed secundum veterem legem poterat esse matrimonium inter fidelem & infidelem, ut patet Deut. XXI. 10. *Si (3) egressus ad pugnam, videris mulierem pulchram in medio captivorum, & amaveris eam. . . introeas ad eam dormiens cum ea, & erit tibi uxor.* Ergo in nova lege licet.

3. Præterea. Sponsalia ad matrimonium ordinantur. Sed inter fidelem & infidelem possunt in aliquo casu contrahi sponsalia cum conditione futuræ conversionis. Ergo sub eadem conditione matrimonium potest contrahi inter eos.

4. Præterea. Omne impedimentum matrimonii est aliquo modo contra matrimonium. Sed infidelitas non est contraria matrimonio: quia matrimonium est in officium naturæ, cujus dictamen fides excedit. Ergo disparitas fidei non impedit matrimonium.

5. Præterea. Disparitas fidei est etiam quandoque inter duos baptizatos, sicut quando aliquis post baptismum in hæresim labitur; & si talis cum aliqua fideli contrahat, nihilominus est verum matrimonium. Ergo disparitas cultus matrimonium non impedit.

Sed contra est quod dicitur II. Corinth. VI. 14. *Quæ (4) conventio lucis ad tenebras? Sed maxima conventio est inter virum & uxorem.* Ergo ille qui est in luce fidei, non potest contrahere matrimonium cum illa quæ est in tenebris infidelitatis.

Præterea. Malach. II. 11. dicitur: *Contaminavit*

(1) Al. de indisparitate. (2) Al. Sed ad hoc esse aliquid illud &c. (3) Equivalenter non iis dem omnino verbis. (4) Vulgata, societas.